

priori solvet. Quod si aliquis reclamaverit et probaverit se in hujusmodi mensuris fuisse deceptum, deceptor damnum restituet et priori sex solidos solvet.

Similiter de hortis in villa constitutis et circumjacentibus, et de vineis statutum est et jurejurando firmatum quod nemo audeat in hortum vel vineam alterius intrare, nec aliquid rapere, neque olera, neque portum, neque fructus si fuerint sibi.

Similiter de vineis neque agrestam, neque racemos, neque paxellos, neque aliquid earum. Quod si aliquis fecerit et de facto comprobatus fuerit, damnum restituet, et priori sex solidos solvet, et si dare non possit, auriculam perdet.

Item statutum est ne aliquis sine assensu prioris in expeditione eat, nec prece, nec pretio aliquorum ductus castellum ingrediatur ad defendendum, vel foras ad expugnandum. Quod si fecerit et vulnus intulerit, 66 solidos priori dabit, et percusso damnum restituet. Si occiderit hominem, omnia confiscantur priori. Si quis autem superbiam facibus accensus negligenter de villa exierit profugus ea occasione, quod dicit burgenses vel ipsum priorem

A sibi injurias irrogare, et nolit juxta statuta villæ judicio injurias persequi, post primam et secundam admonitionem prioris per se vel per suos factam, ille talis omnibus diebus vitæ suæ ex tunc exsul et profugus non reversurus abeat, et omnis ejus hæreditas priori incurratur.

Demum statutum est quod quicumque intus vel extra aliquem vel aliquam interfecerit, sine misericordia incurratur Domino.

De minimis autem querelis, ut est de percussione sive sanguinis effusione facta et de illatis contumeliis, de capillis ruptis et de aliis hujusmodi, ut consuetum est et statutum teneatur.

Item si quis virginem corruperit vi: si mulier fuerit vilior eo, dabit ei maritum consilio amicorum suorum, vel accipiet eam in uxorem. Quod si mulier fuerit nobilior, ad arbitrium prioris et amicorum mulieris, mulieri satisfaciet et 66 solidos priori solvet.

Item si aliquis quamlibet aliam stupratus fuerit, 6 solidos dabit priori et mulieri satisfaciet. Si quis conjugatam rapuerit et cum ea fugerit, ut de homicidio stabilimentum villæ servetur.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIX.

ADALBERTUS

METENSIS SCHOLASTICUS.

NOTITIA HISTORICA IN ADALBERTUM.

(Fabric. *Biblioth. mer. et inf. lat.*)

Adalbertus, levita, sive monachus et sacerdos, scripsit *Flores ex Moralibus B. Gregorii papæ in Job*, eosque dedicavit Herimanno presbytero. Prologum ad Herimannum edidit Edmundus Martene tom. I *Anecd.*, quem testatur depromptum ex codice annorum circiter 600.

INCIPIIT PROLOGUS ADALBERTI LEVITÆ

AD HERIMANNUM PRESBYTERUM

In quo promittit subnectendum ei opusculum excerptum « quasi lilia candentia a Moralibus quæ quæ B. Gregorius Spiritu sancto afflatus luculentissimo sermone disseruit (1). »

(Apud Marten., *Anecd.* tom. I, pag. 84.)

Dilectissimo in Christo ac venerabili Patri HIRIMANO presbytero ADALBERTUS humillimus levitarum sempiternam in Domino felicitatem.

(1) Exstat hoc opusculum in ms. codice monasterii sancti Illidii Claromontani, cujus character

Mecum sæpius retracto, reverende Pater, creberrima circa me benignitatis charitatisque vestræ impensa beneficia, nec non etiam suavia atque satis

annos circiter 600 ætat. Idem se reperisse in ms. Præmonstratensi testatur Mabillonius tomo I

admodum mihi delectabilia exhortationum vestrarum colloquia. Inter cætera tamen paternitatis vestre solamina, illa non minus hæserunt animo, quæ de beatissimi Gregorii papæ libris frequenter mirantes sive congaudentes pariterque timentes vicaria relatione contulimus. Inter eosdem nempe libros Moralia in beato Job edita, dulcedine dictorum allekti, subende revolventes, quædam tuo jussu teque præsentate prima ex parte tibi excerpsti: unde tuo tam provocatus studio, quam etiam fultus consilio, quod prius sub arcano pectoris mei latebat, tali sum ordine conatus perficere, videlicet ut triginta quinque libros memorabilis papæ Gregorii diligentia qua possem transcurrerem, et quæque in eisdem libris de quibuslibet rebus magis necessaria reperissem, codice sub uno aggregata colligerem, atque singulas sententias capitulis prænotarem. Quod quidem non ut debui, sed prout potui opere perpetravi. Non temerario si quidem, ut mihi videtur, ausu id tentavi peragere, sed revera eo magis studio, ut tam ego quam et mei, si forte sunt similes, quos non multum vacat legere, aut etiam si vacat, desidia non sinit multa legendo percurrere, aut si studium adsit, forsitan copia, ut plerisque in locis assolet, deest librorum; hoc nostrum, si tamen libuerit excerptionis opusculum compendio percurrere queant, et fastidium prolixitatis pati omnimodo nesciant. Sed etiam hoc scire legentes volo, quia præter capitula vel in quibusdam locis congruentiam inchoationis in exordio sententiarum, nihil ex proprio inserui, excepto duntaxat quod ea quæ male scriptorum vitio depravata reperi, prout potui emendare satagi [al. satagui]. Interim hoc opusculum ob respirandi gratiam lectoris, in qua-

Analectorum pag. 317. Idem et nos reperimus in mss. S. Petri Selincurtensis ordinis Præmonstratensis, in diocesi Ambianensi, in Caroli-Locensi ordinis Cisterciensis et in Grandimontensi prope Lemoyicas. Sed in Grandimontensi ad calcem hæc leguntur: *Ego Adalbertus licet indignus monachus atque sacerdos, qui ex Moralibus beati Gregorii papæ in Job editis studui colligere flores, humiliter ac submisse omnibus legentibus per ineffabilem Trinitatem precor et supplico, hortor et suadeo, atque totis ex præcordiis enixius expostulo, ut pro mole meorum peccaminum omnigenis Deo, qui cuncta creavit ex-*

tuor decrevi distinguere libris; et quia ibidem humani generis vita multimoda varietate distinguitur, ejus libuit vocabulum appellare Speculum. Minores denique sententias, quarum ubertate in sensu et sonoritate seu in verbis usquequaque delectatus sum, quæ aut duas aut tres, aut paulo amplius protenduntur in lineas, nec tamen adeo prolixæ sunt, ut capitulis indigeant, seorsum in alio codice collegi. Harum tantum capita discernendi causa) rubro placuit inchoari colore. Ecco per prata cucurri amœnissima, ac florum diversitate vernantia, omnique jucunditate plenissima; quibus tanta sum ariditate illectus, cum sint cuncta fragrantia, cuncta redolentia, ut penitus omnia concupiverim. Sed quia universa concupita exili præditus industria mecum ferre non valui, sedit animo ut flores quos pulcherrimos inspexi habere colores, et per plurima prævidi habere medicamina, decerpere studerem, quatenus peritum quemque ac divinæ voluntatis æmulam tam decorositas florum illicet, quam et remedium salutare ad amorem suum pellat sive accendat. Si quis autem veneno invidiæ in præcordiis serpente fuerit maculatus, ac dente malevolo maluerit derogare ac deridere quam congratulari sive emendare hoc nostrum qualecunque opusculum, cavendum est ei ne simul cum antiquo hoste, illa, quod absit, sententia vulneretur. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum qui sunt ex parte ejus, *En offero.* Inter magna et pretiosa divitum munera hoc parvitas meæ munusculum, et hoc supplex exoro, ut si nequeo gratiam obtinere cum potentibus, merear saltem partem habere cum muliere illa paupercula, quæ quondam prompto animo in gazophylacio duo legitur intulisse minuta-

nihil, qui omnia quæcunque voluit fecit in cælo et in terra, qui est iudex vivorum et mortuorum, preces ex imis visceribus fundant, ut et nostra errata propitius indulgeat, et suam gloriosissimam visionem in cælesti regno cum omnibus sanctis pro sua gratuita et immensa clementia æternaliter frui concedat. Amen.
In alio codice Grandimontensi habentur alia ex operibus S. Gregorii excerpta in libros XVI distributa, quibus præmittitur index capitulorum cum hoc titulo. *Hæc capitula sunt in libro Distinctionum et non sunt in Gregoriano Garnetii.*